quantumuis tam miserabiliter plorantem audit: captum
oculis, nullum quantumuis formosum agnoscit, grandi
armatum falce obuiaque nullo discrimine demetit:
triremes aequat liburnis; turres cauernis; pannis
purpuras; tiaras petasis; sceptra ligonibus. Nullus
locus, nullus recessus, nulla latibula tuta sunt,
sed omnia infesta, omnia suspecta, periculis plena omnia,
visitur ubique tristissima mortis imago. In agros egre-
deris, at miser ad lanienam victima destinata ultro
curris; ad alias regiones abire tentas? sed viae ubique
septae vigiliis, transitum etiam amicis negant. ad tecta
domus, urbis moenia confugis, sed eheu omnia intestinis
laborant malis, publico, privatoque omnia flagrant
incendio. At hoc tam tu scire, hujusce malum, quod nulla
catapotia, suffitus, malagmata, antidota nulla, nulla
denique medicamina depellere, aut parum certe efficere
possunt sola hyems et tantum mitigat, ac extinguit,
sed et eas regiones in quibus ipsa suum quotannis domicilium
constituit, pro hospitii mercede ab hoc imo et aliis paene
omnibus morbis immunes, et saluberrimas etiam efficit:
cum tamen ea imperia in quibus aut nulla, vel exigua
hyems est, vere quotannis saltem aliqua ex parte,
ob putridum foetorem, aerisque malitiam pestilentiam, aut
infectivis morbis laborent. Igitur hyemem inaestimabile,
et divinum omnino bonum, in qua tot luctuosissimae
calamitates, ac miseriae avertuntur, vel ingruentes iam